



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Pedagivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

PECVNIA.

1 PECVNIAE nomine veniunt largo vocabulo omnia quae possunt esse in matrimonio, quorum aliquis potest esse dominus. c. totum. i. qu. 3. & omne quod pecunia potest mensurari: secundum Thom. secunda secundae. q. 78. a. 2. Proprie verò dicitur pecunia denarius. Car. in clemen. exiui. §. porro. de verb. sign. ideo cum prohibetur pecunia, intelligitur de moneta, cuiuscunque generis sit tantum.

2 SOLVITIO debiti in quasitate, vel numero existentis debet fieri secundum pecuniae valorem currentem tempore contractus, siue pecunia sit reprobata in totum, siue alterata in partem in perpetuum, respectu cursus: secundum Pa. in c. quanto. de iureiur. & c. olim. de cen. & haec est communis opinio doc. Et hoc tam in moneta minuta, quam grossa: secundum d. Ant. & Pan. in d. c. quanto. Si verò non est alterata in perpetuum, sed ad tempus, secus est: secundum Panorm. supra. ar. in l. Pretia. ff. ad leg. Falcid. Et dicitur pecunia diminuta, vel alterata in perpetuum, quando princeps non vult, quod expendatur nisi pro rato, cum prius pro maiori vel minori pretio expendatur. Diminuta verò ad tempus dicitur, quando hodie florenus valebit 80. cras valebit 81. & sic de die in diem crescit, & decrescit. Dicitur verò reprobata, vel quia falsa, vel quia à Principe bannita.

3 SOLVITIO sienda ratione condemnationis iudicis debet fieri de pecunia currente tempore condemnationis, si ratione statuti condemnationis, debet solui de moneta currenti: secundum Spec. & verius: quia poena de minori debet solui. capitul. odia. de regul. iur. lib. 6. Solutio autem, quam fieri mandavit princeps, fiet de moneta currente tempore, quo mandavit, si princeps sciebat valorem eius: secundum dict. Ant. in d. c. quanto. ar. in d. c. olim. Solutio verò respectu legati fiet secundum valorem monetae currentis tempore conditi legati: secundum Panormita. in d. c. quanto. Idem dic de antiquis

pensionibus: secundum Ioan. And. in c. pe. de censu.

4 PETRVS mutuauit Paulo, vel de posuit C. aureos restituendos in auro tantum. Paulus non potest restituere in alia materia, neque in alia forma inuito ipso Petro, & augmentum, vel diminutio ad ipsum Petrum pertinet. Si autem mutuauit C. libras in auro, vel argento, satis est, quod restituat C. libras in quacunque moneta. Si autem simpliciter fuit factum mutuum in auro, vel argento, non potest restituere in alia forma, vel materia, quando Petrus ex hoc pateretur damnus. Si autem non patitur damnus, potest restituere aurum pro auro, & argentum pro argento, etiam mutata forma, & ipse Petrus tenetur acceptare, nisi aliter loci consuetudo haberet: secundum Panormitanum in dic. cap. quanto. & Bar. in l. Paulus. ff. de solutio. De falsificantibus, & radentibus monetam, supra, Moneta, per totum, Falsarius, per totum. Solutus ex pecunia lucrati, contra morosum debitorem agere potest, vt soluat, quod verisimiliter fuisset lucratus ex mutuata pecunia. Abb. in c. per vestras. de don. inter vit. & v. x. col. 2.

PEDAGIVM.

1 PEDAGIVM, & Pensio, supra, Gabella, per totum, & infra, Vestigal, per totum. An sit mortale peccatum fraudare huiusmodi, multi tenent quod non sed si inueniantur, poenam soluant, postquam fuerint condemnati: tamen quia ex natura sua tenetur solui, quod solui debet secundum iustitiam, non solvere huiusmodi gabellas, ad furtum pertinet: ideo à mortali tales non soluentes excusate nescio: sicut tenet Caiet. in vet. vestigal. de quo supra, Gabella, §. 6. Quis possit pedagia imponere, vide Abb. in c. innouamus. de censu. & de verb. signif. c. super quibusdam.

POENA.

1 POENAM, quam quis incurrit transgrediendo aliquod statutum, vt videlicet tantum soluat, qui contrafecerit, non tenetur etiam in foro penitentiali, nisi postquam fuerit de hoc

sententia.